1673

22

AVSPICATVM
INEUNTIS ANNI
PRINCIPIVM, PROGRESSVM, FINEM
MAGNIFICO NOBILISSIMO
DNO. JOANNI NAPS,
REGIO BURGRABIO
ET
REIP. THORUNIENSIS PRÆCONSULI.
ITA OMINABATUR

G. WACHSCHLAGER.

Sol qvi citatis orbibꝰ rotas urgēs,
Metiris orbem, ſemitamqve convexi
Spumantibus calcas eqvis, triumfanti
Impone Sertum vertici, coronamqve
Auro gravem gemmisq; ſolve divinos
Crines, caput ſacrum repecte, finiti
Penſi labores dulce gaudium paſcat.
Mortalium Sortis TUÆ comes pectus
Curas loqvaces mente pellit inſomni,
Mœroris atri ſedibus ſedet flamma,
Dic Ætna; ſed non qvā Tonantis armata
Cyclops adortus Regiam movet dextra,
Sed qvam tremendo nutriit ſinu Jova;
Dives fa[illegible]orum munerumq; fœcunda.
Hic ignis hæc ſunt ætna qveis pluit ſaxis.
Certant calenti corde qvos ligat ſangvis,
Blandæ maritus corporis ſui parti,
Et hæc marito qvicqvid eſt boni, qvicqvid
Fortuna palma præpotente diſpenſat
Fauſtum, precatur; clamat impari natus
Lingva, Patrono ſe cliens probat, cuncti
Ardentibus gratum cor exhibent votis.
Multi feraci jactitant manu dona,
Strenasq; mittunt, qveis vetus qvaſi legem
Dictavit uſus, maſcule fatigantur
Et qvisq; dulcem gloriæ cupit palmam.
Me perſtrepentis ſuſcitat ſonus Mundi,
Et victimarum plena laudis incenſa
Hortantur Exemplum [illegible]
Fervore membr[illegible]
Jam Thura Mæcena[illegible]
Aurum, qvod uſtus Sole, nudus & dives
Indus legit, ſeu volvit unda ludentis
Hermi, vel imprægnata rore cœleſti
Qvicqvid repandit concha margaritarum.
Regina rerum denegavit optata;
Crudelitatem vindicabo Livoris,
Portans bonorum qvæ ſceleſta Sors liqvit
Partem: Calendæ Tot TIBI revertantur
Magnæ, qvot ingens machinæ globꝰ verſat
Stellas, qvot æqvor piſcium, ferarumq;
Sylvæ receſsus claudit, exulet triſte
Qvicqvid moratur liminis TUI florem.
Hæc noſtra ſunto, qvæ placere ſi poſſunt
Munera, ſummo verticis petam cœlos.

THORUNII,
Typis excuſa à JOH. COEPSELIO, Gymn. Typ. ANNO M. DC. LXXIII.